AUTHOR:

BONSTEDT, ERNESTUS

TITLE:

QVAESTIONES ARISTOPHANEAE

PLACE:

FRANCOFVRTI...

DATE:

1872

Master Negative #

93-81627-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ar5 Bonstedt, Ernst. 1840-
DZ2 v.1 Quaestiones Aristophanae; de Aristophanis fabulis Daetalensium Babyloniorum Acharnensium. Francofurti ad Moenum 1872. O. [3] + 44 + [2] p.



88Ar5 Doctor's dissertation at Jena
DZ2 v.1 (Ger.) university.

5

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QVAESTIONES ARISTOPHANEAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE

IENENSI

OBTINENDOS

SCRIPSIT

ERNESTVS BÖNSTEDT

POSNANIENSIS

FRANCOFVRTI AD MOENVM

TYPIS IMPRESSIT AVGVSTVS OSTERRIETH

M.DCCC.LXX.II

DE ARISTOPHANIS FABVLIS

DAETALENSIVM BABYLONIORVM ACHARNENSIVM

Aristophanes plus quadraginta comoedias scripsit ex quibus undecim tantum seruatae sunt. Harum fabularum — quarum unaquaeque per se ipsa satis idonea erat ad memoriam poëtae immortalitati tradendam — antiquissima est illa comoedia quae inscribitur Acharnenses: quippe quae sexto anno belli Peloponnesiaci,[1] olympiadis duodenonagesimae[2] anno tertio, anno a. Chr. quadringentesimo uicesimo quinto docta sit.

Iam uero antequam Acharnenses conscriberet alias comoedias duas Aristophanes admodum etiamtum iuuenis[3] in scaenam commisit, Daetalenses olympiadis duodenonagesimae anno primo, anno a Chr. quadringentesimo uicesimo septimo et Babylonios[4] olympiadis duodenonagesimae anno secundo, a. Chr. anno quadringentesimo uicesimo sexto: quarum reliquiae tantum extant.

Tres illas comoedias primas Aristophanes alieno nomine[5] inscriptas in scaenam commisit.

Quod cum lege[6] coactum fecisse qua anni poëtarum circumscripti fuissent uidetur negandum esse. Etenim talis lex si ualuisset nulla fuerat causa cur postea Athenienses mirarentur[7]

---

1 Ach. u. 266. 29[illegible]. coll. u. 141. 175. 415. 424. 760 seq.

2 schol. Pac. 990. OMueller. hist. gr. Lit. II. 112. n.

3 Nub. 528. Ran. 504 cum schol. Vesp. 1018. cf III. περὶ κωμῳδ. § 16. in ed. II Arist. Th. Bergk. OMueller. l. l. II. 215. n. 1.

4 Ach. 377 seq.

5 Nub. 528. seq. Vesp. 1017. sq. Eq. 509 sq. c. schol. coll. Ran. 89.

6 schol. Nub. 510. Bergk. in Meinck. F. C. II 206. cf. Bode hist. gr. Lit. II 209.

7 Eq. 512 sq.

quod sero iuuenis poëta suo nomine chorum postulasset. Immo equidem puto etiamsi nulla lex obstitisset incognito cuidam poëtae iuueni maioribus natu uiris notis iamque probatis concertantibus suo nomine chorum impetrare sane difficillimum futurum fuisse praesertim cum qui chorum ab archonte impetrauissent poëtae iam ante actam fabulam quasi publico iudicio comprobati uiderentur. Quid? quod ne spectatissimi quidem poëtae, ut Sophocles et Cratinus, turpem repulsam semper euitarunt.

Iam uero ipsum munus quod tum quidem impositum erat poëtae ut non modo chorum regeret fabulamque doceret sed etiam primas fere partes ageret[8] — Aristophanes ut uel postea rarissime[9] suscepit ita iuuenis praesertim non potuit non difficilius existimare quam quod suis uiribus exsequeretur. Neque immerito postremo Aristophanes dubitauisse mihi uidetur num ipsae illae fabulae, in quibus quasi index[10] extaret reipublicae Atheniensis, si auctoris iuuenis nomine paene incognito in scaenam commissae essent populo probatae forent cuius inconstantia et leuitate uel optimos ante se poëtas comicos nimis uexatos uidisset.

His omnibus de causis Aristophanes, opinor, conscriptas a se tres illas comoedias — Daetalenses Babylonios Acharnenses — alteri tradidit qui suo nomine tanquam ipse illas composuisset et chorum ab archonte posceret et fabulas doceret. Quem primo quidem solum[11] auctorem fabularum cum uulgo existimatum tum publice declaratum fuisse consentaneum est praesertim cum fabulis modo actis quis re uera fabulas scripsisset quaeri omnino non posset.

Atque illum quasi poëtae uicarium, cuius nomen Aristophanes ipse nusquam adfert, in tribus illis fabulis docendis

---

8 Arist. Rhet. III. 1.
9 in Eq. Nub. Pac. Plut. fabulis.
10 Ach. 500. 655.
11 OMueller. l. l. II. 79. 80. n. 3. 110. n. 1. 185.

unum indico Callistratum[12] fuisse eundem per quem postea quae Aues et Lysistrata inscribuntur comoedias facile praeclarissimas in scaenam commisit. Quem non modo histrionem sed etiam poëtam[13] fuisse et eum temporibus illis laudatum etsi aliunde non constat tamen res ipsa mihi docere uidetur. Eundem uero et uirum constantem atque optime de republica sentientem et amicum Aristophanis concordem fuisse licet etiamnunc cognoscas inde quod nec ueritus est quae in eis comoediis liberrime hic quidem de republica Atheniensi indicauerat ut sua proferre atque defendere neque recusauit quamuis Babyloniis doctis ab Cleone in ius uocatus[14] aegre absolutus esset quin iam insequenti anno suo iterum nomine Acharnenses[15] Aristophanis in scaenam produceret. Cuius fabulae cum aliis locis tum parabasi Aristophanes Callistratum perinde ac si hic comoediae auctor fuerit se ipsum pluribus defendentem facit a contumeliis istis iniuriisque aduersariorum. Quod illum quidem fecisse cum intellexisset sese iuuenem nullius tum auctoritatis, quem aliquot post annis Cleo etiam uerberibus[16] castigasse dicitur, si palam causam Callistrati, quae re uera esset sua, suo in se nomine suscepisset nihil uel parum utique profecturum esse quis est qui neget?

Iam uero cum omnia optime euenissent atque Callistratus Daetalensibus Babyloniisque doctis secundus, Acharnensibus in scaenam commissis primus ex certamine uictor euasisset Aristophanes palam professus est se ipsum esse uerum illarum fabularum auctorem: id quod amicos nonnullos spectatoresque

---

12 anon. de com. I. p. VIII. in Th. Bergk. Ar. ed. II, ibid. III. περὶ κωμῳδ § 12. ap. Dind. p. 23. III. (t. IV. 1. prol. de com. p. 195º.) opp. schol. Nub. 527 sq. uit. Ar. IV. p. IX. Bergk. XII. cf. Ach. Au. Lysistr. Bergk in Mein. F. C. II. 923. AMueller. ed. Ar. Ach. praef. Elmsl. ad Ach. 355.
13 OMueller. l. l. coll. II. 202.
14 schol. Vesp. 1284. OMuell. II. 219.
15 argum. Ach. coll. Ach. u. 499.
16 Vesp. 1284.

acriores passim iam cognitum habuisse uerisimile est. Atque tantam auctoritatem tribus istis comoediis consecutus est ut non modo omnes ab eo peterent ut quam tum in manibus habebat fabulam Equitum[17] suo ipsius nomine in scaenam produceret sed etiam eidem illi qui olim metuerat ut chorum ab archonte impetraret publice chorus daretur. Quare quod Aristophanes in posterioribus comoediis se illarum fabularum auctorem libenter atque cum spiritu quodam praedicat non mirabimur.

Fauorem autem illum Aristophanes omniumque studium consecutus erat cum arte insigniore qua iam primas illas fabulas composuerat tum uel maxime argumento earum fabularum ac fere noua rerum tractatione.

Principio enim Attica comoedia[18] quasi ultro procreata ex communi populi ridendi inridendique studio nihil fuerat nisi ridicula quaedam — ut locus et tempus ferebant — hominum rerumque cotidianarum imitatio. Quas uero poëtae tum conscripserunt comoedias melius descripseris ludicra quasi quaedam et lasciua carmina fuisse. Nam iocularia tantum secuti et ridicula quae frigida satis saepe et lepore destituta erant poëtae isti in argumento abiecto atque humili et in foedis uel maxime atque incultis rebus uersabantur — nimium unius uulgi plausum captantes.

Quo factum est ut eodem tempore quo — Atheniensium animis omni politiore elegantia imbutis — tragoedia ab Aeschylo et ab Sophocle perfecta erat comoedia etiamtum contempta ac nullo numero esset. Quam adeo iacentem comoediam Periclis denique aetate Cratinus et qui summo studio cum eo concertabat Eupolis[19] etsi nondum ad tragoediae perfectionem extulerunt tamen ad politiorem humanitatem reuocarunt. Quod

[17] Eq. 509 sq.

[18] Vesp. 56 sq. 1019 sq. Nub. 946 sq. cf. V. ἀν. π. κωμ. § 2. in Bergk. Ar. ed. II.

[19] cf. in Bergk. ed. Ar. II. prol. de com. II. § 1–3. III. § 7. 11. 12. VIII. § 16. 24.

illi perfecerunt cum eis rebus quae in prisca illa comoedia foedae fuerant et incultae prudenter ad artis formam redactis et temperatis tum ipso illo argumento abiecto prorsus immutato.

Ut enim omnes poëtas ex hominum omnino ingenio et moribus operum argumenta sumere oportet, ita est scaenicorum poëtarum fabulis suae ipsorum aetatis quasi imaginem exprimere eis uel maxime propositis rebus quae summa necessitudine cum animis ac studiis aequalium coniunctae sunt. Id uero summi illi et germani poëtae Cratinus et Eupolis prudenter intellexisse uidentur cum ipsam rempublicam quam ipsa illa aetate uehementissime populus Atheniensis amplectebatur comoediarum suarum quasi argumentum facerent. Qui diuersissimi ingenii uiribus et arte poëtica sed pares studio ueritatis ac consentientes de rebus humanis in pertractando illo argumento id praecipue spectabant ut dolorem inritationemque animi quibus adfecti erant deprauatis suae aetatis moribus in summam dicacitatem et acerbitatem effunderent — quaecunque uitiosa animaduertebant et noxia in rebus uel publicis uel domesticis grauiter et liberrime notantes atque perstringentes.

Iam uero idem illud argumentum grauissimum Aristophanes illorum aetati suppar maiore etiam ardore atque libertate amplexus est et cum omnium qui ante eum scripserant comoedias, Cratini inprimis et Eupolidis[20] uirtutes sibi parauisset uitia euitasset ipsam comoediam eximia arte et praeclarissimo ingenio ad summam perfectionem perduxit.

Quae autem illa aetate argumentum erat comoediae respublica Atheniensis immutata prorsus et in summum discrimen uocata erat.

Antiquitus enim cum moribus Atheniensium animis moderantibus et quasi uinculis continentibus — legum oboedientia uera existimaretur libertas ipsa respublica tanta auctoritate fuit ut ciuium uoluntatem atque arbitrium cohiberet. Qua sola re

[20] A. W. v. Schlegel, Vorles. üb. dram. K. u. L. I. 314.

factum esse ut respublica Atheniensis adeo uigeret omniumque artium studiis laetissime floreret quis est qui neget?

At enim uero Periclis aetate cum progressa eruditione omnes res diuinae et humanae obnoxiae fierent hominum rationi uel opinioni quibus salus reipublicae continebatur — religio leges mores labefactata sunt. Pericles quidem qua erat prudentia atque auctoritate etiamtunc impediuerat quominus istud ut ita dicam singulorum ciuium arbitrium ipsis rebus ciuilibus temere se immisceret. At eo mortuo in ipsis tumultibus bellicis prodita est respublica omnium ciuium arbitrio ac licentia summa declarata est libertas.

Quae uero in republica Atheniensi quasi ex ipsis hominum animis enata erant mala sophistarum artibus aucta sunt atque perfecta. Sophistae enim cum a contemplatione naturae et mundi ad hominis naturam conuersi hominem modum esse omnium rerum statuissent ipsius hominis arbitrium et cupiditates quasi nouas uitae leges constituerunt. Quibus omnibus rebus postremo factum erat ut omnes res priuatae et publicae Athenis adflictae atque corruptae essent.

In ista autem communium temporum labe ac pernicie uersabantur illorum poëtarum comoediae. Atque hoc poësis argumentum, quod quidem per se ipsum non risum potius quam dolorem atque fastidium mouere et ab omni perfectiore arte abhorrere uidetur, Aristophanes qua erat ingenii ui atque artis perfectione ita tractauit ut omni dolore ac fastidio superatis omnia ad laetissimam hilaritatem et ad concentum quendam consensumque rerum uocaret. Nam in comoediis suis cum se uinclis ueritatis prorsus liberasset euolauit ille quidem omni rerum humanarum miseria solutus ac liber quasi in fastigium quoddam ingenii hilaritatisque unde — omnia quae hominibus acciderent infra se esse iudicans — in ipsam uitam quasi in fabulam quandam inspexit cuius partes agunt ipsi homines et dictis et factis ad admirandum et ad inridendum spectatoris animum commouentes. Atque ita — id quod omnibus artibus inprimis debet propositum esse — quasi conciliato ingenio arti-

ficis cum argumento artificii — animum non solum cum delectatione aliqua mouet sed etiam humanissima quadam uoluptate adficit. Unde mihi quidem manauisse uidetur diuturna illa et quasi aeterna uis comoediarum Aristophanis ut qua ipse concitatus est ingenii summa delectatione animos omnium qui eum adeunt penitus perfundat adeo ut obliuiscantur et sui ipsorum et rerum humanarum ueritatem atque miseriam.

Quod summum et praeclarissimum artis propositum Aristophanes interdum minus uidetur adsecutus esse in primis illis quas commemorauimus comoediis cum quo erat iuuenili ardore et impetu omnium rerum ruina ac labe summo etiamtunc dolore adficeretur necdum ad tranquillitatem aequitatemque animi peruenire posset. Etenim dolori tantum et animo suo inritato obtemperans quidquid in ipso erat odii grauissimi acerbissimique liberrime ille quidem in his primis comoediis aduersus nouà suae aetatis studia protulit.

Attamen inter illas comoedias propius recedere arbitror ab illa perfectione quam postea Aristophanes consecutus est Acharnensium fabulam: quippe quae iam inde a primo initio — inuenta inter tumultus bellicos unius hominis pace priuata — extra leges condicionesque uitae humanae elata quasi in perpetuitate quadam rerum ingeniose fictarum uersetur.

Sed etiam aliud quid quod non tam ingenio et arte quam animo continetur Aristophanes aeque in omnibus suis comoediis persecutus est.

Est enim quasi altera pars officii poëtarum ut non modo sibi solis ut ita dicam satisfacere studeant poëtae sed etiam animorum eorum qui legant uel audiant rationem habeant atque id spectent ut auctores his quidem existant optimorum consiliorum.

Atque ita Aristophanes qui in ciuium suorum animis praeclaram quandam atque ingenuo homine dignissimam spem collocans reliqua meliora fore nunquam desperabat ubi primum ad scribendum se contulit id agendum sibi in comoediis suis constituit ut reipublicae utilitati seruiret et ciuium suorum com-

modis consuleret[21]. Qua in re uel summam Aristophanis uirtutem ac laudem positam esse iudico.

Iam uero consilium illud Aristophanes se nullo alio modo melius effecturum optime intellexit quam si „ciues inspicere tanquam in speculum in uitas hominum suorum iuberet atque ex aliis sumere exempla sibi". Atque ita nullo ille quidem partium studio compulsus sed suo tantum ipsius iudicio ductus quae mala falsa perniciosa quaeque bona uera salubria existimabat populo in fraudem impulso atque corrupto in suis comoediis quasi ante oculos posuit.

Quod iudicium suum Aristophanes neque ex disciplina moribusue quibus tunc homines regebantur neque ex mera cogitatione aut animi sententia desumpsit sed ex ipsa contemplatione uniuersarum rerum quas Athenienses atque Graeci gesserant informauit. Temporum uero iniquitatem animaduertens cum in mentem sibi reuocaret quantum olim ciuitati Atheniensi roboris atque firmitatis fuisset cum praeclarissime ciues ad Marathonem Persas deuincerent fugere eum non potuit fuisse antiquos mores atque legum oboedientiam quibus ciuitas Atheniensis adeo aucta atque firmata esset. Itemque iudicauit eam tantum ciuitatem stare ac uere liberam esse posse in qua hominum animis mores moderarentur atque leges procul abiectis omnibus rerum nouarum studiis quibus ab antiquo illo et uere Graeco animo uel maxime abhorrentibus adflicta omnia atque corrupta uideret. Quare non modo quae ridicula aut perniciosa sibi uiderentur ubicunque illa quidem inuenit poëta noster adgressus est sed etiam uiam ciuibus suis monstrauit et rationem qua tandem aliquando ad meliorem uitae condicionem reuerterentur. Et docet Aristophanes iterum

---

[21] Eccl. 583. Vesp. 1074. Thesm. 390. 427. Au. 912. Ran. 686. 771. 1030. 1049. 1054. 1420. 1500. Pac. 736. 748. Vesp. 1030. Eq. 1271. coll. Ach. 500. 626. 474. 620. 625. 631. 633. 655. Eq. 508. cf. IV. § 2. VIII. § 3. 5. IX. § 3. 4. in Prol. de com. in ed. Ar. II. Th. Bergk.

ac saepius oportere ciues omni proprio arbitrio omnibusque cupiditatibus abiectis constanti animo solam sequi[22] auctoritatem legum et morum maiorum qui communis patriae amore incensi suis commodis utilitatibusque summam reipublicae salutem potiorem habuissent. Quare opponere libet antiquorum temporum robur atque integritatem suae aetatis infirmitati et labi leuibusque et miseris aequalibus qui omnibus cogitationibus in res humillimas atque contemptas abiectis nihil altum nihil magnificum ac diuinum suspicere possent — germanos illos perfectosque Graecos qui apud Marathonem rem praeclare gessissent, eosdem illos a quibus ceterorum Graecorum fortissimos uiros educatos esse Plato praedicat.

Quanquam quid opus est pluribus? Id egit Aristophanes ut de omnium rerum et priuatarum et publicarum condicionibus libere atque ingenue iudicans in comoediis suis uniuersam rempublicam quasi oculis spectantium subiceret. Quod uniuersum ut ita dicam poësis suae consilium etsi in aliis comoediis alio modo adsecutus est tamen siue ex ipsa republica alacri animo et audacissima fiducia plurimas uariasque res desumpsit siue facetissime ipse rerum condiciones inuenit — omnia semper in illo quidem consilio posita erant.

Hoc autem consilium suum Aristophanes in singulis comoediis ita est exsecutus ut unam ex rebus priuatis publicisue et corruptissimam et grauissimam fabulae quasi argumentum subiceret unde causas repeteret uniuersae reipublicae libere perstringendae.

Atque ita Daetalensium[23] fabulae argumentum iuuentutis uoluit institutionem esse: id quod maxime proprium fuisse iuuenis poëtae uixdum ex scholarum umbraculis egressi mihi quidem uidetur.

---

[22] Eq. 565. 1387. Nub. 961. Ran. 718. 727. 1015. 1025. 1072. et passim. cf. Tagenist. fr.

[23] Nub. 527 sq. 1172. c. Schol. cf. anon. de com. I. p. VIII. ap. Bergk coll. Vesp. 56 sq.

Institutio autem iuuentutis optima illa quidem antiquitus quam corrupta esset ipsa republica misere deprauata — iterum ac saepius etiam in posterioribus comoediis professus est. Nam cum ad publicas res gerendas iuuenes Athenis educarentur quales quoque tempore erant rationes ciuiles talis fuit educatio iuuentutis. Quare ut antiquis temporibus iuuentus ad legum morumque oboedientiam instituta erat ita temporibus belli Peloponnesiaci cum omnium libidinum atque uoluptatum maturitas erupisset — iuuenes sophistarum inprimis disciplina ad licentiam uel maxime atque cupiditatem informati sunt. Quo factum est ut huius aetatis iuuentus sanctos illos maiorum mores atque qui ipsis illis moribus etiamtunc imbuti erant seniores uiros bonos despiceret et id unum agens ut omnibus rebus ciuilibus se immisceret nihil antiquius haberet quam ut istam uim dicendi facultatemque sibi pararet qua de omnibus rebus propositis facile uerba facere posset.

Quod cum reipublicae moribus depravatis adeo immutatam illam institutionem iuuentutis et ipsam rursus ad corrumpendam et quasi deperdendam omnem vitam priuatam et publicam uel plurimum ualuisse saepius alibi professus sit Aristophanes equidem censeo eum etiam in Daetalensium fabula, quamuis angustioribus terminis argumentum eius circumscriptum uideatur, e consilio suo poëtico uniuersam condicionem rerum priuatarum publicarumque ante oculos spectantium proposuisse: quanquam quae ad ipsam fabulae actionem attinent paucissima tantum extant.

Quae autem explorata habemus haec fere sunt.

Nomen suum fabula Daetalensium a choro accepit hominum in templo Herculis epulantium: producitur autem in scaenam senex quidam bonus probusque qui filiorum — quorum alterum ipse ruri educauerat alterum in urbe omnibus summis rebus instituendum curauerat — scientiam litterarum temptat. Qua in re in urbe educatum filium „Καταπύγων" qui admodum insigniter uocatur Homeri carmina male cognita habere sed juris Attici, Solonis in legibus loquendi consuetudi nis, omnium de-

nique oratorum artium peritissimum esse apparet. Neque uero qua est aduersus patrem impietate ullo modo adducitur ut uituperationem patiatur senis capularis. Cui iuueni frater oppositus est — ipse quoque insigniter denominatus „Σώφρων" qui antiquos mores aduersus istius recentiora nouarum rerum studia defendat.

Iam uero proximo anno Aristophanes cum Daetalenses populus cum plausu prosecutus esset aliquanto longius progressus est atque fabulae quam tunc in scaenam commisit Babyloniorum [24] argumentum ex ipsis temporum rationibus ciuilibus duxit.

Opportunitatem enim secutus magnorum Dionysiorum, quorum spectaculis cum inito uere celebarentur cum alii peregrini permulti tum socii — tributa Athenas ferentes — interesse solebant, ille hac comoedia ostendere conatus est quomodo qui tum quidem Athenis multitudini imperarent populares et domi rempublicam administrarent et foris rem gererent.

Atque respectis proximi superioris anni euentis Aristophanes inprimis demonstrauit et quomodo Athenienses — ut essent creduli captuque faciles — legatorum peregrinorum adsentationibus laudationibusque magnificis ac splendidis temere implicarentur rebus ancipitibus et quomodo socii ab ipso populo Atheniensi uel a magistratibus eius crudelissime premerentur.

Illo enim tempore Athenienses et Gorgia qui legatus Athenas missus erat auctore Leontinos contra Syracusanos uiginti instructis triremibus [25] adiuuerant, (quo facto bellum prorsus immutatum et ut ad alias regiones ita ad dissimiles rationes traductum erat) — et Lesbo ad obsequium tandem redacta a Cleone incitati aegre per Diodotum erant prohibiti quominus crudelissimas poenas a Mitylenaeis sumerent.

Quare id potissimum in Babyloniorum fabula Aristophanes mihi egisse uidetur ut Athenienses commoueret ne rem eo

---

[24] Ach. 377. 502. 633. c. Schol. cf. Bergk. ap. Mein. II. 968.
[25] Ach. 634. Diod. S. XII. 53.

perducerent ut sociorum studium amoremque quo sibi illi etiamnum deuincti essent magis magisque a se auertentes imperium ipsum[26] denique perderent sed ut clementer eis et mansuete in posterum imperarent. Quod ut efficerent Athenienses et populares istos qui sua tantum commoda undique quaererent nec ea minima oppressis sociis — a rebus gerendis amouendos neque stultos inutilesque homines duces[27] creandos esse docuit. Quorum popularium qui tum quidem princeps erat et quasi ciuitatis personam gerebat Cleonem Babyloniorum illa comoedia Aristophanes praeter ceteros accusauit — cuius intemperantia cum alia multa detrimenta respublica cepisset tum aucta in dies saeuitia labefactatum esset sociorum foedus.

Sed ipsam actionem rerumque dispositionem huius quoque fabulae plane ignoramus. Neque aliud quicquam ex paucissimis fabulae reliquiis et ueterum testimoniis comperimus nisi quod chori partes homines egerunt Asiatici barbari Babylonii ab Aristophane sollemni nomine uocati qui noctuae nota inusti ut Atheniensium serui publici atque sociorum scuto insigniti in pistrino turbulenti cuiusdam ciuis sudant et laborant. Chori uero illius persona ab Aristophane socios significatos esse uexatos ab Atheniensibus ac paene oppressos, persona ciuis illius ipsum Cleonem descriptum esse facile apparuerit.

Sed ut eorum quae dixi summam faciam Aristophanem etiam in hac Babyloniorum fabula id egisse statuendum mihi uidetur ut uniuersae reipublicae Atheniensis quasi imaginem effingeret.

Quod quam grauiter quamque copiose Babyloniorum fabula effectum sit luculentissime apparet cum ex praemio quod consecutus est qui fabulam docuerat tum ex eis quae docta fabula Cleo contra eum qui poëtae uice erat functus molitus est.

Is enim ipse potissimum ista fabula uexatus Callistratum

[26] Ach. 162. Ran. 503.
[27] Schol. Ach. 502. uit. Ar. XII. § 4. ed. Bergk.

qui Babylonios docuerat apud senatum accusauit quod administrandae reipublicae ratione derisa atque exagitata ipsam rempublicam[28] uel sociis ac peregrinis ad inridendum despiciendumque proposuisset. Quo Cleo effecturum sese sperasse uidetur ut non solum qui descendisset nuper ad accusandum popularium imperium adversarius de uia quam modo inisset deiceretur sed etiam uniuersae comoediae uis et auctoritas in omne tempus comprimeretur ac frangeretur.

Sed quod uoluit ille quidem consecutus non est: nam absolutus est Callistratus — multitudine qua erat tum in republica auctoritate iucundissimis comoediarum oblectamentis fraudari nolente.

Quae cum ita euenissent insequenti quoque anno quam Aristophanes scripserat fabulam Acharnensium docere Callistratus non dubitauit. Qua in comoedia Aristophanes etsi Callistrati amici gratia, qui quod modo periculosissimum fuerat iterum subire non recusauerat, moderatius locutus est, tamen liberrime contra ea quae ab inimicis in peiorem partem detorta erant Babyloniorum auctorem defendit.

Iam uero priusquam demonstrem quo consilio Aristophanes hanc Acharnensium fabulam in scaenam commiserit, nunc si placet quo rectius posthac certiusque fiat iudicium argumentum fabulae quae sola ex tribus illis antiquissimis Aristophanis fabulis integra adhuc seruata est — actionis ordinem secutus enarrabo.

I. Πρόλογος. u. 1—203.

Atque initio fabulae Dicaeopolis homo rusticus ex numero eorum qui bello exorto ex agris in urbem confugerant — e domo sua in medio scaenae pariete sita egressus in uno consedit subselliorum quibus proscaenium a poëta exornatum est ut uideretur pnyx esse notissimus ille locus ubi sollemniter Athenis comitia habebantur. Indictis enim comitiis matutinis in quibus de grauissimis rebus deliberaretur festinans ille ubi primum dies inluxit aduenit. At nondum ceteri uenerunt ciues quos in

[28] Xen. de rep. A. 2, 18. Schol. Vesp. 1291.

foro pnyci propinquo leuissimis rebus tempus conterere nihil curantes in summa sua socordia quomodo pax fiat Dicaeopolis indignatur. Qui hanc solitudinis opportunitatem secutus de suis et de reipublicae rebus copiosius loquitur ita ut statim ab initio fabulae naturam et mores eius penitus pernoscamus quem auctorem esse rerum in fabula gerendarum Aristophanes uoluit. Atque conqueritur corrupta omnia in republica et quasi perdita esse bello illo nefasto quod dolores innumerabiles, perpauca gaudia attulerit. Quare cum persuasum sibi sit nulla alia re nisi pace constituta fore ut pristina felicitas et salus reipublicae restituantur oratores qui non de pace uerba facturi sint interpellandos sibi constituit.

Meridie denique appetente prytanes insecuti ciues in pnycem concurrunt et una omnes magno impetu atque tumultu ad prima subsellia festinant.

Iam uero sollemni praeconio initio comitiorum facto Amphitheus quidam aduolat cui flagitanti contio datur. Atque immortalem se praedicans ex Cerere et Triptolemo ortum — sibi soli deos ait potestatem fecisse pacis faciendae cum Lacedaemoniis: eo magis dolendum esse uiaticum quod ipse quamuis immortalis non habeat a prytanibus sibi non datum esse. At ne nunc quidem prytanibus ad alias res festinantibus probatus Amphitheus lictorum [τοξόται] minis adducitur ut taceat — Dicaeopolide frusta intercedente.

Iam enim in scaenam prodeunt euocati a prytanibus legati quos ad Persarum regem ab Atheniensibus missos fingit Aristophanes ac splendidis uestibus induti pauonum instar incedunt plurimis et magnifice exornatis comitibus insequentibus. Dicaeopolis autem tali magnificentia et splendore nullo modo decipitur sed illorum fraudem ac uanitatem ridicule exagitat — istos explorans non modo non impetrasse a rege quod populo persuadere studerent sed ne fuisse quidem unquam apud regem. Attamen fraudulenti illi legati ad eam denique fraudem et impudentiam progrediuntur ut quem „regis oculum“ uocant legatum quendam ut hi quidem dicunt a rege Persarum ad Athenienses

missum introduci iubeant. Qui sane admodum insigniter Pseudartabas denominatus atque mirum in modum uno et maximo oculo barbaque ingenti exornatus cum duobus insequentibus eunuchis prodisset nimis Dicaeopolis apertis istis fallaciis offensus se iam non continet quin omnem fraudem aperiat — demonstrans homines qui Persae uocentur ciues Athenienses impudicitia infames et omnes spes Persarum regis auxilii uanissimas esse. Sed nihilominus „regis oculo“ ad epulas in prytaneo apparatas inuitato uehementissime Dicaeopolis indignatus ut tandem aliquando postquam diutius iam omnia belli mala perpessus sit et ipse iucundis uitae bonis fruatur pacem statuit componendam sibi soli cum a republica nihil exspectandum sit. Atque qui ad eum confugerat Amphitheum aptissimum ratus internuntium de suo dato uiatico ut sibi uxori liberis pacem faciat Lacedaemonem mittit.

Interea autem alius prodiit legatus qui ad Sitalcen Thracum regem subsidiorum petendorum causa missus erat. Cui Aristophanes consulto nomen imposuisse uidetur Theoro cum illa aetate huius nominis improbissimus quidam homo blanditiis suis acceptissimus extitisset multitudini Atheniensi. Itemque in comoedia Theorus ille qui legati munere functus uni sibi urbis salute prorsus neglecta profuit nihil nisi blanditias profert ac mera mendacia. Quod cum Thracum regis deditissimum Atheniensibus animum probaturus paruam quam ille quidem miserit Odomantium manum producit Dicaeopolis horum quoque omnium nihil uerum se putare rebusque ita porro gestis Athenienses perituros esse palam profitetur. Cum uero miserrimi isti milites allium eius ex sacco cibario furati sunt indignatus Dicaeopolis omninoque desperans boni aliquid ab hac contione impetrari posse quam subito senserit guttam imbris palam in omen uertit. Qua re commoti prytanes Thraces perendie rursus adesse iubent contionemque dimittunt.

Vix autem multitudo abierat cum exanimatus Amphitheus procurrit. Ridicula enim celeritate iter Athenis Lacedaemonem iterque Lacedaemone Athenas confecit dum actores quadraginta

quinque uersus loquuntur. Et adfert Amphitheus pacis tria genera quasi uina sint lagenis inclusa. Ex quibus Dicaeopolis et quinque et decem annorum paces respuit quippe quae classium apparatus oleant legatorumque missiones: sed triginta annorum pacem suauissimo odore saporeque iucundissimo summo gaudio accipit. Qua pace gustata modo adeo est incitatus et quasi inflammatus ut belli prorsus oblitus nihil cogitet nisi pacis bona ac gaudia. Quare nec tempus nec locum curans Liberalium quae diutius iam propter tempora desiderasse se queritur diem festum laetissimum facile omnium rusticorum celebrare constituit. Adlaturus autem quae ad haec sacra facienda necessaria sint Dicaeopolis domum intrat dum Amphitheus pacis quam attulit nullo fructu percepto Acharnenses quos redeuntem se dicit persecutos esse fugit.

II. Iam uero inruunt in orchestram qui in hac fabula chori
Πάροδος. partes agunt Acharnenses lapidibus armati. Qui versibus tro-
u. 204—346. chaïco numero animorum motui pulcherrime adaptatis senectutem conqueruntur qua impediti sint quominus celerius persequerentur maleficum istum hominem qui pacem reconciliare ausus sit cum hostibus qui bonis quidem omnibus in dies magis odiosi fiant. Neque uero desperant senes duri et bellicosi fugitiuum se consecuturos esse quem se occisuros comminantur. Nam pacem ipsis invitis compositam aspernantur nec prius se bellum finituros esse iurant quam Lacedaemonii uitium excisarum poenas grauissimas dederint.

Tum autem domo egressus Dicaeopolis Liberalia celebraturus astantes linguis fauere iubet. Et chorus quanquam statim intellexit hunc esse illum qui temere pacem composuerit cum hostibus tamen sacrorum reverentia permotus recedit ita ut Dicaeopolidem obseruet ipse ab eo non conspectus. Dicaeopolis autem silentio facto pompam instruit sollemnem in qua primam ire filiam canephoron iubet seruo pone eam phallum ferente: deinde uxore de tecto domus spectante ipse ultimus pompae carmen phallicum incipit quo et grato animo deum celebrat et precatur ut omnes fructus pacis suae percipiat.

Finito uero carmine illo summa et pietate et licentia perfuso cum Dicaeopolis ipsum sacrificium parat subito chorus prorumpit atque lapidibus ei minitatur. Sed Dicaeopolis cuius comites effugerunt de patera quam sacrificaturus in manibus habet magis anxius quam de se ipso—primo quidem plane sese ignorare simulat quibus de causis Acharnenses tam uehementer irascantur. Deinde uero magis etiam iram eorum concitat dicens non solum Athenienses ab Lacedaemoniis sed etiam ipsos Lacedaemonios ab Atheniensibus iniuriis adfectos esse. At cum senes illi rustici ueritatem auribus nullo modo admittentes ne defensionem quidem concesserunt Dicaeopolidi quem patriae proditorem esse clamitant eodem ille utitur artificio quo in Euripidis fabula Telephus Achaeos ut se exaudirent commouerat. Vt enim ille Orestem infantem Agamemnonis e cunabulis ereptum transfigere minitatur ita Dicaeopolis mortem minatur corbi carbonariae e domo arreptae quacum usu diuturno et pari carbonum amore artissime coniunctos esse Acharnenses hilarissime poëta fingit. Quibus minis grauissime perculsi Acharnenses omni ira abiecta nihil antiquius habent quam ut misericordia Dicaeopolidem flectant. Et conuenit inter eos ut Dicaeopolis suam Lacedaemoniorumque causam armis depositis et capite in truncum lanionium imposito defendat.

Dicaeopolis autem qui breuiter simpliciterque quod ad III.
rem attinet dicere adsueuit nunc uerba facturus coram iudicibus 1. Ἐπεισόδιον.
pertinacibus et duris id sibi agendum intellegit ut omni modo u. 347—625.
misericordiam eorum commoueat. Atque ut uestimentum inprimis quale reum deceat recenti sibi e sacrificio splendide etiamnum uestito comparet ad Euripidem contendit quem oratorum optimum magistrum ac summum miserationis artificem cognouit.

At domus quae iuxta sita est Euripidis ianua pulsata a ianitore qualibus decet talis eri ministrum uerbis sententiosis atque argutis edocetur occupatum illum carminibus pangendis se conueniri nolle. Cum uero Dicaeopolis magnopere eum expetat Euripides cenaculum aperiri iubet ubi uoluminibus per-

multis omnique tragoediarum apparatu circumdatus et ipse pannis indutus in sella altissima sedet. Atque Dicaeopolis qui nunc intellexisse sibi uidetur cur quos Euripides quasi deiecerit in scaenam heroas ei claudi fere omnes sint et membris animisque fractis rogatus quid sibi uelit ab Euripide nec dicta neque scripta sed laceratas uestes petit herois cuiusdam mendici quem multis ante annis partes agentem fabulae alicuius Euripideae spectatum a se et claudum fuisse mireque facundum bene commeminit. Huius enim herois pannos uerborum uim quasi ultro secuturam esse rustico persuasum est. Sed cum fabulae quam in animo habeat nomen non recordetur Euripides quattuor deinceps tragoedias ei proponit in quibus omnibus heroes in scaenam prodeunt miserrimi. Quarum nulla comprobata prolatam denique fabulam Telephi Dicaeopolis eam esse agnoscit quam desideret. Sed Dicaeopolis pannis Telephi cupide et libenter acceptis semper semperque aliud quid ex instrumentis miserrimi mendici poscit ita ut Euripides timeat ne totam sibi ille tragoediam auferat. Atque postremo Dicaeopolis iam abiturus quasi in mentem sibi uenerit se unum idque uel grauissimum oblitum esse Euripidem obsecrat ut uel pauxillulum quid caerefolii sibi det de matris oleribus. At ista inrisione Euripides uehementer offensus fores claudi iubet. Dicaeopolis autem qui uel sine caerefolio sibi uerba facienda esse constituit pone truncum lanionium quem e domo efferri iussit consistit ut causam dicat apud iudices Acharnenses.

Atque quam nunc dicit orationem Dicaeopolis Telephi quibus indutus est pannis quasi Euripideae mentis instinctu concitatus lepidissime haec exornata est acute dictorum argutiis et sententiis subtilibus.

Ac primum quidem Dicaeopolis quasi pro ipso fabulae poëta loquatur spectatoribus excusatum se uult si sententiae illae quas mox dicturus sit mirifici quid habere uideantur. Dicit enim spectatores mox intellecturos quae de belli ortu dixerit nihil esse nisi ludicra atque iocosa eosque probe cognituros esse quid ipse quidem re uera sentiat de Lacedaemoniis

et quas tandem ob causas pacem commendet: sed quoniam in theatro non eadem uerba facienda sint atque in contione sese Acharnensium choro fictas aliquas narratiunculas impositurum esse [28]. Deinde autem sibi quoque adfirmat Lacedaemonios odio esse qui etiam ipsius uites exciderint — exsecratus ut terrae motu domus eorum euerterentur.

Iam uero illos Lacedaemonios belli auctores esse negat, cuius causas ab ipsis potius Atheniensibus repetendas esse dicit: quanquam prudenter admodum addit non ipsam rempublicam, sed ciues quosdam turbulentos bellum commouisse. Hos enim Atheniensium in Megarenses odium omnibus artificiis auxisse ut maioribus semper calumniis eos uexarent. Cum autem iuuenes nonnulli ebrii noctu Athenis Megara profecti mulierculam inde rapuissent Megarenses iam nimis offensos ipsos quoque Aspasiae ancillas duas rapuisse. Tum uero Periclem Olympium ira incensum decretum fecisse ne Megarenses in ulla parte regionis Atticae manerent neue Megarensium merces Athenas importarentur. Quod cum iacentibus commerciis Megarenses inopia et fame pressi a Lacedaemoniis auxilium petiuissent hos ab Atheniensibus impetrare non potuisse ut decretum illud antiquaretur. Hinc igitur exortum esse bellum quod omnia turbasset ac miscuisset — pro supplicibus et oppressis Megarensibus nulla culpa Lacedaemoniorum qui fecissent quod eadem rerum condicione haud secus facturi fuissent ipsi Athenienses.

Qua oratione audita altera senum pars Acharnensium ad Dicaeopolidis sententiam traducta est. Sed eorum altera pars in belli studio persistit quoniam ipsi innocentes a Lacedaemoniis nihil nisi iniurias acceperint. Quod cum rationibus comprobare nequeant pugnis quibus uulgus fere iustam suam causam esse contendere studet Dicaeopolidi minitantur. Illo autem a prudentioribus Acharnensibus defenso homines isti bellicosi Lamachum ducem illa aetate bellica uirtute insignem quem Aristophanes cum eadem Acharnensium tribu natum tum ipsum

[28] u. 442 sq.

quoque belli studiosissimum facit contra patriae proditorem qui diutius iam reipublicae Atheniensi maledixerit in auxilium uocant.

Atque prodit ille scuto gorgoneo cristataque galea ridicule instructus e domo sua iuxta domum Dicaeopolidis sita. Hic uero quamuis magno terrore primo se adfectum simulet mox aperte eum deridens declarat optime se scire quocum res sibi sit. Non magni se facere profitetur illius et ceterorum popularium ciuilem uirtutem. Immo pacem ait sese composuisse quod uidisset qui omnes belli labores subissent seniores uiros optimos mercede fraudatos et a rebus publicis prohibitos, turbulentos autem illos ac rerum nouarum studiosos iuuenes duces et legatos factos ut omnes ex rebus publicis fructus perciperent. Quare mirandum non esse quod adeo isti bello faueant.

Et his causis etiam reliquis Acharnensibus conuictis Lamachus talibus ciuium rationibus rempublicam in summum periculum uocari clamat et in omnes hostes patriae urbis flagrans perpetuumque odium professus abit. Dicaeopolis uero iam in pace sua omnibus Peloponnesiis Megarensibus Boeotis in negotiorum commercia uenire licere pronuntiat: solos abesse iubet eos qui Lamachum secuti bello operam dent. Tum ipse quoque domum intrat.

IV. Παράβασις. u. 626–718.

In parabasi quae nunc sequitur uniuersus denique ad sanitatem perductus chorus primum pacem a Dicaeopolide cum Peloponnesiis Boeotisque compositam probat. Deinde autem eum ait qui hanc fabulam docuisset quanquam hucusque illud nunquam fecisset tamen inimicorum calumniis adductum esse ut iam ipse de se uerba faceret et quam praeclare de republica meruisset ciuibus demonstraret. Et sane melius illum quidem senes Acharnenses praedicant populi commodis consuluisse quam omnes istos laudatores adsentatoresque qui in foro publico immoderatione uerborum exsultantes patriam urbem laude ridicula exornarent. Huius autem fabulae doctorem solo amore patriae ductum modeste ac sapienter Atheniensibus optima consilia dedisse ne a peregrinis se uanis blanditiis decipi periculisque implicari paterentur atque ut maiore clementia erga socios uterentur. Quam ob causam gloriam poëtae chorus ridicula ait ueritatis superlatione ultra oppida sociorum qui ut cognoscerent eum uehementer desiderarent usque ad Persarum regem translatam esse qui sciscitatus ex legatis Lacedaemoniorum utris faueret Aristophanes — dixisset eos uicturos esse qui huius poëtae consiliis uterentur. Itaque Lacedaemonios id agere ut poëtam ad se traducant. Quem ne deserant Athenienses iusta usque et bona comoediis suis suasurum — quidquid Cleo machinetur — chorus orat.

Tum uero summo cum ardore musa „Acharnica“ inuocata Acharnenses senes grauissime queruntur quod quamuis bene de patria ad Marathonem meruerint de leuissimis causis litibus iniustissimis implicentur, iuuenum calumniis subtilibusque dicendi artificiis in iudiciis circumueniantur semperque multentur. Nec sine dolore se uidisse addunt Thucydidem uirum optimum defectum annis et uiribus accusatum ab Euathlo causamque dicentem apud iudices. Quare postremo Athenienses admonent ut illud quidem instituant ut senes de senibus de iuuenibus iuuenes cognoscant.

V. 2. Ἐπεισόδιον. u. 719–835.

Finita parabasi Dicaeopolis e domo sua egressus forum rerum uenalium metatur quo iam sua ipsius pace freti nec bellum quicquam curantes ad diu intermissa commercia Peloponnesii Megarenses Boeoti commeent. Quae autem agoranomorum uice funguntur flagella tria non solum merces curare sed etiam omnes belli studiosos — Lamachum inprimis et sycophantas a foro prohibere iubentur.

Et sane mira celeritate fama increbruit noui fori. Nam Dicaeopolide domum modo ingresso ut columnam efferret in qua pacem suam insculpsit aduenit cum duabus filiolis homo quidam Megarensis: cuius persona Megarensium et summam miseriam et uersutos fraudulentosque mores laetissime poëta expressit. Quaerit enim homo Megarensis ex filiolis utrum esurire an uenum ire malint. Quae cum uno ore uenum ire malint pater quo facilius id efficiatur filias porcellorum rostra et ungulas

induere atque in saccum inrepere iubet. Tum euocatur Dicaeopolis: qui etsi primo porcellos minus agnouit tamen acutissimo eorum stridore commotus postquam obiectas caricas auide deuorarunt parva mensura salis alliorumque quibus ipsis olim Megarenses uel maxime abundarant filiolas porcellinas emit. Quo facto Megareus homo dolet quod ut filiolas ita non matrem quoque atqne uxorem uendere possit. Sed Dicaeopolide domum ingresso ut salem alliumque adferret prodit sycophanta quidam qui contra ac iussum sit decreto Periclis Athenas importatos porcellos auferre uult et ipsius suarii nomen se delaturum esse minatur. At iussu Dicaeopolidis flagellis agoranomis a foro iste abigitur.

VI. 1. Χορικόν. u. 836—859. Deinde postquam etiam Dicaeopolis et homo Megarensis abierunt chorus Dicaeopolidem pace sua felicem praedicat cui in foro suo priuato iam nullum sit negotium cum ciuibus istis turbulentis atque improbis qui Athenarum forum premant.

VII. 3. Ἐπεισόδιον. u. 860—970. Sed iam aduenit Boeotus homo plurimas adferens merces quas in foro Dicaeopolidis uendat. Vix autem tibicines Thebanos qui e uestigio eum insecuti erant acute tibiis canere iussit cum celeriter Dicaeopolis e domo egreditur atque indignabundus eos abigit subdolo illo homine Boeoto pro eis nihil deprecato. Qui tum merces suas permultas atque uarias enumerat: cum uero anguillas postremo Copaïcas appellauit Dicaeopolis summo gaudio elatus ab illo petit ut de his anguillis unam sibi ostendat. Quam autem tum Boeotus praebuit optimam omniumque pulcherrimam anguillam eam quasi fori uectigal Dicaeopolis deposcit addens se ceteras omnes merces empturum esse. Cumque Boeotus omnia adfirmauit se uendere uelle Dicaeopolis ex eo quaerit nonne permutare uelit merces Athenienses. Et ait Boeotus permutare se uelle suis mercibus merces quae Athenis sint, domi non sint. Quare Dicaeopolis suadet ut sycophantam aliquem auferat: qualem hominem quasi simiam scurrilem secum circumferentem se magnum quaestum facturum esse Boeotus sperat. Et hercle aduenit Nicarchus quidam paruus homo sed ab unguiculo ad capillum summum

germanissimus sycophanta. Qui et ipse minitatur se non solum merces Boeoti ut clam importatas ablaturum sed etiam ipsum Boeoti nomen delaturum esse quod ellychnia Athenas attulerit quorum uel unum facile totum nauale et ipsam classem incendere possit. Sed comprehenditur a Dicaeopolide: sarmentisque ut figlinum uas inligatum sycophantam Boeotus secum aufert.

Quo probato postquam chorus denuo Dicaeopolidis felicitatem praedicauit Lamachi famulus aduenit a Dicaeopolide turdos empturus atque anguillam Copaïcam ad Choum diem festum celebrandum. Sed deriso illo flagellisque abacto Dicaeopolis quas a Boeoto emit merces domum intro fert.

Nunc uero Acharnenses qui iam suis oculis beatissimae pacis commoda perspexerunt summis laudibus prudentiam praedicant illius uiri qui hac pace quam sibi ioculari arte parauerit omnibus inuidiam fecerit. Atque mirati se ignorasse pacem quam pulchra facie esset et cupientes se ei per amorem iungi cum uel senes ipsi ei utiles futuri sint bello quod ebrio comparant iuueni turbulento ualedicunt. VIII. 2. Χορικόν. u. 971—999.

Deinde per praeconem ciues inuitantur ad Choum diem festum celebrandum et ad instituendum certamen bibendi utre uini proposito ei qui primus exhausisset poculum. Quo audito e domo egreditur Dicaeopolis summo gaudio adfectus. Dum autem quae opus sunt ad sollemnia laetissime celebranda in aperto copiose ab eo parantur chorus obrepente inuidia beatum ac sapientem Dicaeopolidem praedicat qui in pace sua abundans omnibus copiis diem festum obire possit. IX. 4. Ἐπεισόδιον. u. 1000-1142.

Sed Dicaeopolidis laetitia sollemnis ab agricola interrumpitur qui a Boeotis utroque boue rapto ita lacrimauit ut iam caecutiret. Quare ille Dicaeopolidem rogat ut uel quinquennalis pacis pauxillulo sibi oculos oblinat quo carissima sua iumenta quaerere possit. At in pace sua quae alii bello passi sint nihil curans Dicaeopolis agricolam cum inrisione Pittalum medicum adire iubet. Se enim profitetur nec Lamachi scutum nec mille drachmas praebentibus ullam partem pacis quam sibi soli composuerit cessurum esse.

Vix autem rursus ad epulas apparandas se conuertit dum chorus quoque se esurientem iam declarat cum paranymphus prodit quem paranympha e uestigio insequitur. At frustra ille etsi assum attulit de mensa nuptiali a Dicaeopolide pacis aliquid petit ne nouo marito proficiscendum sit in bellum. Paranympha autem non solum auribus Dicaeopolidis admittitur sed etiam pacis quantum uoluit accipit quoniam aequum sit mulieres de belli calamitatibus eximi. Atque postremo Dicaeopolis ei praecipit quomodo pax illa nouae nuptae adhibenda sit denuo militibus noctu ad bellum euocatis.

At uix illi abierunt cum subito truci uultu nuntius aduolat Lamachum uocans quem confestim angustias praesidio firmare iubeant praetores certiores facti Boeotos Choum uel Chytrorum diebus festis incursionem facturos esse in fines Atticos. Quod quamuis aegre ferat Lamachus tamen praetoribus pluribus illis quidem quam prudentioribus obtemperandum statuit. Atque eo magis ille dolet quod hoc ipso tempore Dicaeopolis a sacerdote Dionysi propere ad festas epulas uenire iubetur ubi diu iam omnibus copiosissime lautissimeque apparatis exspectetur.

Iamque armante se Lamacho — quaecunque bellici apparatus iste a famulo sibi adferri iubet Dicaeopolis per ludibrium detorquet suauissimi conuiuii apparatus singula quaeque sibi apportari iubens: qua derisione miserum illum bellatorem ad desperationem fere adducit. Postremo autem uterque diuersus abit: Lamachus ad Atheniensium fines contra Boeotos defendendos, Dicaeopolis ad laetissimam compotationem.

X. 2. Παράβασις. u. 1143-1173.

Tum chorus illos uotis suis prosecutus et Dicaeopolidis sapientiam denuo praedicat et Antimacho Psacadis filio poëtae lyrico et chorago sordide parco mala imprecatur.

XI. Ἔξοδος. u. 1174-1233.

Quo carmine finito iam nuntius accurrit exanimatus qui in Lamachi domum intro clamat ut aqua et quaecunque ad uulnera obliganda necessaria sint parentur. Hunc enim ait fossam transilientem cecidisse nec talum solum extorsisse sed etiam caput lapide contudisse.

Et apportatur Lamachus lamentans uulnera medicumque expetens. Ei uero obuiam factus Dicaeopolis qui bene potus a duabus meretricibus sustinetur uehementer inridet. Atque cum uictor certaminis bibendi euaserit adsumpto uini utre Dicaeopolis triumphat choro eum cantu laetissimo ad lautissimas epulas prosequente. Lamachus uero eiulans post pompam sollemnem ad Pittalum medicum portatur. —

Haec fere sunt quae Aristophanes in Acharnensium comoedia summa et ubertate ingenii et hilaritate copiosissime tractauit quorum propria quidem forma ac species ut a nobis illa sunt adumbrata ualde est imminuta.

Nunc uero si placet uideamus quid secutus sit Aristophanes in hac fabula.

Ac primum quidem quod summum fuit Aristophanis atque unum idemque in omnibus comoediis consilium ut uniuersam rempublicam Atheniensem ad iudicii seueritatem reuocaret id etiam ad Acharnensium fabulam pertinere quis est qui neget?

Ostendit enim in hac fabula Aristophanes idque sane luculentissime quomodo respublica Atheniensis quae ad summam suam potentiam atque auctoritatem nulla alia re peruenisset nisi antiquorum hominum obseruantia morum et legum quoniam ab illorum hominum ratione discessisset in summam omnium rerum perniciem delapsa esset. Nam deorum religione in animis hominum exstincta mores esse deprauatos: ueneratione autem pietateque erga antiquitatem dilapsa recentiorum hominum genus nimia aestimatione sui ad immoderatam licentiam elatum esse. Iam uero ipsam rempublicam a ducibus regi qui se iactarent uana uirtute et a turbulentis ciuibus qui suum lucrum suasque uoluptates captarent dum reipublicae se operam nauare simularent. Verba enim illa aetate non facta sicut temporibus antiquis magni aestimari. Atque illa simulatione et inani ostentatione quasi mala aliqua lue iam uniuersam rempublicam Atheniensem corruptam esse. Qua sensus mo-

rumque deprauatione omnia postremo optima studia degenerata esse.

Quid multa? Etiam in Acharnensium fabula Aristophanem rerum et publicarum et priuatarum plurimis ac diuersissimis condicionibus liberrimo iudicio perstrictis quasi imaginem quandam uniuersae reipublicae qualis quidem tunc fuit effinxisse atque ita quod omnino comoediis suis effici uoluisset consecutum esse nullo modo negare poterimus.

Sed certis quibusdam fabulae terminis circumscriptum est illud consilium ut in ceteris comoediis omnibus ita in Acharnensibus quoque: quanquam maior fuit rerum copia quas consilium suum Aristophanes secutus tanquam materiem comoediis subiciebat quam quae uno ut ita dicam fabulae cuiusdam uinclo adeo contineri possint ut omnes fabulae actionisque partes apte inter se congruant ac totum quiddàm efficiant.

Et abhorret talis concinnitas ab ipsa Aristophanis rerum componendarum ratione. Nam quam fingit in quaque comoedia fabulam ea re uera nihil aliud est nisi tanquam fundamentum quoddam rerum uariarum ac fortuito oblatarum quae nullo artiore uinculo inter se colligatae non causis in ipsa illa fabula positis potius quam quasi externa necessitate uniuersi illius consilii poëtae et efficiuntur et cohaerent.

Quanquam progrediente tempore etiam in descriptione partium et in actionis ordine ad maiorem artis perfectionem Aristophanem peruenisse non negauerim. Sed in superioribus illis comoediis ut erat totus etiamtunc in rebus publicis quas tractandas sibi sumpserat et in consilio earum omnium perstringendarum ipsi artis formae et speciei minus tribuit atque formam comoediae quae tradita erat a prioribus poëtis comicis minus eam concinnam atque perfectam ipse quoque amplexus est.

Ita Acharnensium quoque fabulae singulae celerrime inuicem se insequentes partes quarum sua quaeque ac propria ui comica est exornata neque alia ex alia necessitate quadam efficiuntur neque ulla causarum serie cohaerent. Etenim cum statim ab initio fabulae is qui primas agit quod uoluit consecutus sit ut pacem sibi faceret priuatam iam quae sequuntur quoniam nihil habent quo una tendant nihil aliud efficiunt nisi ut continenti quadam serie rerum condicionum atque imaginum et bona pacis et mala belli quasi depingant atque effingant.

Et ipsa hac continuatione serieque rerum condicionum totum illud quod uehementissime existimatores quidam requirunt effici arbitror. Quod sane non tam in ipsa comoediae fabula ficta quam in uniuerso potius quod auctor sequebatur consilio ut totam rempublicam Atheniensem libero iudicio perstrictam ante oculos spectantium poneret mihi quidem uidetur positum esse.

Sed ut eorum quae dixi summam faciam statuendum denique arbitror quod Aristophanes in singularum comoediarum fabulis uideatur secutus esse consilium id reapse nihil aliud esse nisi tanquam instrumentum quoddam necessarium artis dramaticae ad maius illud adsequendum quod uniuersae poësis Aristophaneae praecipuum ac proprium consilium dixi — ut reipublicae utilitati seruiret et ciuium commodis optimis consiliis consuleret.

Hoc autem posito nunc si placet uideamus quod consilium ut ita dicam peculiare Aristophanes in fabula Acharnensium secutus sit.

Atque postquam Daetalensium comoediae institutionem iuuentutis et Babyloniorum comoediae rationes quae Atheniensibus cum sociis exterisque gentibus publice intercederent quasi fundamentum subiecit unde de uniuersa republica liberum faceret iudicium Aristophanes in Acharnensibus longius etiam progressus id ipsum adgreditur quo uniuersa communium temporum calamitas uel maxime continebatur bellum dico quod gerebatur ab Atheniensibus Lacedaemoniisque atque palam pacem commendat.

Quinque[29] autem anni fuerunt cum funestissimo bello arma uniuersae Graeciae excitata erant. Pericles enim cum in-

---

[29] Schol. Ach. 266.

tellexisset tandem aliquando decertandum fore Atheniensibus cum Lacedaemoniis qua essent summa inter se aemulatione atque inuidia non dubitauerat ciuibus suadere ut bellum quod Lacedaemonii molirentur ipsi palam susciperent. Idemque eodem etiamtum anno 430 a. Chr. pestilentia in urbe hominum refertissima exorta cum summo omnium studio effectum esset ut Athenis Lacedaemonem legati mitterentur qui omni pretio pacem facerent Lacedaemoniis moram facientibus orationibus suis iterum populo persuasit ut omnia consilia pacis omitteret. Atque illo quidem duce prospere rebus gestis exeunte aestate anni 429 a. Chr. quaecunque Lacedaemonii conati erant terra marique repressa erant.

Pericle autem autumno eiusdem anni pestilentia absumpto multitudo quae tunc in republica dominabatur pace etiam magis explosa summis uiribus in tractando bellò perseuerandum esse statuit. Et hercle Athenienses rem tam bene gesserunt ut quo anno Acharnensium fabula docta est pestilentia quoque finita respublica ad felicitatem quandam redacta uideretur. Nam neque in Corcyra insula neque adversus Mitylenas Lacedaemonii quicquam consecuti erant: Athenienses uero et exstincto tumultu Lesbiaco maris sociorumque imperium magis etiam corroborauerant et cum Corcyraeis foedere renouato opes atque auctoritatem reipublicae ualde auxerant. Neque terrestri bello Lacedaemonii sex factis expeditionibus quamuis incredibiliter Athenienses morbo grauissimo adfecti essent quicquam profecerant nisi quod Plataeensium paruum oppidum deleuerant. Contra Atheniensium copiae etiam terrestre bellum praeclarissime gesserant duce Demosthene qui hieme anni 426 a. Chr. Athenas redux templa urbis hostium spoliis exornauerat.

Quid ergo? num mirabimur bello tam prospere gesto Aristophanem Archarnensium fabula Atheniensibus pacem commendasse cum hostibus quos illi iam deuictos cogitatione praecepisse uidentur? Minime uero: si prudentiores nosmet uulgo isto Atheniensi cognouerimus quo in loco re uera fuerint illis temporibus Atheniensium Graecorumque res.

Pericle enim mortuo qui solus etiamtum auctoritate sua atque animi constantia diuersa ciuium studia ad communem reipublicae salutem direxerat cum multitudo reipublicae dominatum consecuta esset iam salus reipublicae prae singulorum ciuium commodis et cupiditatibus neglegebatur. Atque adsueta illa quidem a Pericle rerum gerendarum operam aliis tradere mox eis se dedit qui sibi suisque commodis optime consulere uiderentur. Hi[30] autem ciues isti turbulenti fuerunt ac rerum nouarum studiosi qui nunquam intermittentes multitudini blandiri eiusque dominatum omni modo augere re uera uniuersam rempublicam in suam[31] potestatem redegerunt: quam sua sola commoda suasque rationes[32] secuti publica salute prorsus neglecta administrabant. Multitudo autem quae omni licentia exsultaret popularium durum imperium quasi caeca quadam amentia non sensit. Quod eo facilius fieri potuit quod morbo grauissimo[33] et incursionibus quae singulis fere annis ab hostibus fiebant uita uictuque[34] multis modis immutato libidines et uoluptates fere omnium Atheniensium animis potitae erant.

Nec uero minus immutati erant temporibus belli ceterorum Graecorum animi. Cum enim necessitudo illa qua antiquitus eisdem moribus et religionibus Graeci omnes coniuncti fuerant iam nulla esset etiam uirtutes illae quae positae fuerant in communis patriae amore subuersae sunt. Nam ut coeptum erat bellum implacabili cum odio ita est gestum in dies maiore immanitate atque atrocitate omni iure in solis uiribus posito.

Quae cum ita essent quaecunque foris Athenienses armis consecuti essent eorum compensatione quae domi perdita essent lenitum non iri sed bello continuato cum morum deprauatio atque legum neglegentia inualescerent — quicunque uictoriam adepti futuri essent — omnium denique ruinam ac perniciem ne-

---

30 Eq. 217. sq. 129. Nub. 444. coll. 644.
31 Eq. 1643.
32 Nub. 351. Eq. 158.
33 Thuc. II. 47—54.
34 Thuc. II. 19 sq. Pac. 619. Eq. 790.

cessario exspectandam esse prudentissimus quisque intellexit. Neque defuerant ex quo bellum exarsit qui operam darent ut pax conueniret.

Atque Pericle etiamnum uiuo inprimis comici poëtae[35] malorum futurorum quasi prouidi ac praenuntii palam pacem commendarunt. Hi uero aliique ut erant pauciores nihil obtinere potuerant cum Pericles qua fuit auctoritate atque eloquentia iterum ac saepius ciuibus persuaderet ut in bello quod ipsi decreuissent constanter perseuerarent. Pericle autem mortuo cum summa rerum ad populares deuenisset qui tantum aberat ut bello uterentur ad maius illud adsequendum quod Pericli propositum fuerat ut Atheniensibus principatum adeptis uniuersa Graecia ad unum quasi corpus coalesceret ciuitatis quae omnibus copiis ualens par esset hostibus externis — ut bello[36] tantum suis utilitatibus rationibusque optime consulere studerent: numerus eorum qui ad pacem inclinabant magis auctus est. Nam et ei qui saluti reipublicae plus tribuebant quam suis commodis atque rationibus et ei quorum commodis ipsum bellum nocuerat tunc coniuncti bello obnitebantur quod publicis atque priuatis utilitatibus obesset.

Quod autem palam proferre Cleone acerbiore imperio utente[37] uix quisquam etiamtum ausus erat Aristophanes qui semper id egit ut quod de uniuersa republica sentiret fabulis suis exprimeret coram ipso populo libere ac sine metu professus est. Quanquam errauerunt qui arbitrati sunt Aristophanem ab illorum qui pacis cupidi fuissent factione nescio quo modo commotum uel corruptum quasi personam sustinuisse eorum cum pro pace loqueretur. Immo Aristophanes qui quod sensit de republica per suum ipsius iudicium nullius uel adiumento uel auctoritate consecutus erat paci tam adsidue operam dedit quod quam animo informauisset rempubli-

35 I. hyp. *Εἰρ.* p. 282. 27. cf. Th. Bergk. de r. c. a. a. p. 323 sq.
36 Eq. 869—872. Pac. 619. Eq. 790 sq.
37 Ach. 6. 300 sq. 379 sq. 659 sq. 503. cf. Th. V. 16.

cam[38] sola pace effici posse intellexerat bello quasi fundamento communium temporum labis ac perniciei plane euerso. Qua in re fore ut eis qui uariis causis commoti pacis cupidi essent comprobaretur et adiuuaretur Aristophanem sperasse consentaneum est. Nam ipse multis Acharnensium locis dicit se probe scire[39] omnia se periclitari illud adgressum quo uel maxime eorum potentia contineretur qui tum rempublicam Atheniensium gererent et quod maior populi pars a popularibus ducta sectaretur. Attamen etiam addit[40] ut id semper egisset ex quo comoedias scriberet ut populo quod bonum ac iustum esset suaderet ita nunc quoque se non reformidantem quae Cleo machinaretur bona[41] et iusta sua causa fretum quod optimum sibi uisum esset populo commendaturum esse.

Quod ut faceret ipsa uel maxime temporis opportunitate Aristophanem commotum esse arbitror. Nam Athenienses qui prosperrime modo rem gesserant tunc Lacedaemoniis ultro pacis condiciones ferre potuerunt auctoritatis uel dignitatis nullo detrimento capto. Lacedaemonii autem quorum auctoritas cum bello per sex annos gesto fere nihil consecuti essent in magno discrimine esset quin aequis condicionibus pacem accepturi essent dubitari uix potuit. Ceterorum uero Graecorum qui quae Lacedaemonii promisissent quaeque ipsi sperassent adsecuti non essent uel plurimos restituta commercia et securam patriorum festorum celebrationem bello pernicioso antelaturos esse constitit.

Sed quamuis graue esset atque serium quod propositum ei erat tamen iocose tantum et hilare quae est natura comicae artis Aristophanes illud protulit. Adde quod haud ignorauit[42]

38 Bergk. Ar. fr. p. 97. de r. c. a. a. p. 323.
39 Ach. 313 sq. 562. 128. 289. 526. 205. 302.
40 Ach. 360 383. 402. 496. 633. Pac. 738. Vesp. 1051. Eq. 509. Bergk. c. a. r. p. 416 sq.
41 Ach. 626 sq. 641.
42 Eq. 40. 644.

quocum res sibi esset minimeque eum fugit multitudinem commoueri non posse nisi propositis commodis manifestis atque apertis utilitatibus. Quare mirum non est quod ipse bonam causam defendens omnibus eis artificiis usus est quibus populares populo persuadere solebant. Nam protulit ut id quod uoluit adsequeretur haud pauca a ueritate magis minusue abhorrentia neque dubitauit ipsas res gestas deprauare talesque effingere quales ei ad causam suam accommodatissimae uidebantur. Et profecto etiam nunc Aristophanes omnium animos commouet rebus et ueris et fictis laetissime ita consociatis.

Quod autem secutus est Aristophanes in Acharnensium fabula consilium ut ita dicam proprium et peculiare ut et pacis desiderio[43] ciues adficeret et persuaderet eis pacem utique faciendam esse id simplicissimo laetissimoque modo ita perfecit ut maxime seriis sententiis iocosissimis nugis tanquam inuolutis iucundissima[44] pacis bona malis tristissimis belli opponeret.

Quare quaecunque bello deperdita uehementissime tum populus desiderabat ea illum quidem facit consecutum qui in fabula pacem composuit priuatam cum hoste — Dicaeopolidem. Qui uacuus molestissima militia nullo metu hostium ex urbe abire potest quo uult et Dionysia rustica quae omnium sollemnium facile laetissima et iucundissima diu iam ob tumultus bellicos populo in urbe compresso intermissa erant[45] atque Choas quarum dies festos cum Acharnensium fabula docta est reapse etiamnum imminentes se bello continuato omni antiquitus tradita sollemnitate celebraturos Athenienses uix sperare poterant uberrima omnium rerum copia ante oculos spectantium celebrat. Restitutis denique in pace commerciis undique Dicaeopolidi merces apportantur delicatissimae.

Quae proposita pacis commoda talia esse quae fere omnia ad multitudinis cupiditates priuatasque utilitates spectent quis est

[43] Hyp. Au. II. 343. 18 sq. ed. Mein. Ach. 52. c. Schol.
[44] Ach. 959 sq.
[45] Thesm. 1147.

qui in comico poëta reprehendat? Et in summa gaudii iocorumque licentia Aristophanes quid re uera de pace speraret satis luculente declarauit. Qua composita quasi fundamentum communis istius perniciei quae manere ac ualere nequiret nisi belli temporibus euersum iri arbitratus est.

Ac ne mala quidem belli quae ante oculos spectantium poëta noster ponit altius repetita sunt. Quem enim belli cupidissimum induxit Lamachus summa hieme aduersus hostes proficisci cogitur: unde reuersus uulneribus acceptis ludibrium fit eius qui cum hostibus pacem fecit. Quanquam quae alia mala summa atque grauissima bello effecta essent multis Acharnensium locis de uniuersa reipublicae condicione uerba faciens Aristophanes docuit. Bello enim cum multitudinis dominatum licentiamque tum uel maxime imperium popularium augeri. Quocum artissime coniunctam esse ingenii morumque illam deprauationem quae ad omnia uitae genera ac studia redundaret.

Sed quo dignius odio populus bellum haberet Aristophanes ostendere conatus est quibus causis leuissimis et contemnendis[46] bellum et exortum esset et porro gereretur. Pro eo autem ut simpliciter id quod sentiat dicat cupiditate ista quae sua tantum commoda suamque salutem spectaret bellum et excitatum esse et porro geri — Aristophanes profitetur belli quod totam Graeciam euersurum esset causas fuisse quae priuatis utilitatibus ducti sycophantae aduersus Megara moliti essent et quae trium ancillarum gratia Pericles fecisset decreta Megarica. In quibus quamuis uerum sit Atheniensium cum Megarensibus contentione[47] et prohibitis[48] a Pericle Megarensium commerciis uel maxime bellum exarsisse tamen singulae quaeque commenticia sunt atque ficta. Neque enim indagare uoluit Aristophanes in ea comoedia quae uerae belli causae fuissent — quas illum quidem penitus perspexisse non negauerim — et has ueras

[46] Pac. 600 sq. Plut. Pericl. 30.
[47] Schol. Pac. 609. Nub. 302. Pac. 246.
[48] Plut. Nic. IX. Thuc. I. 127. 145.

causas prolatas coram populo in theatrum congregata non ita utilem operam sibi praebituras esse intellexit. Adde quod Aristophanes quamuis admiraretur Periclis ingenium atque uirtutem tamen qua erat ratione eundem reprehendit quod et ipse sese iam extra leges extulisset et multitudinis dominatus licentiaeque uerus esset auctor[49]. Quare cui uiuo iam alii comici poëtae non pepercerant illum ipse quoque palam adgredi non dubitauit atque poëtarum potestate usus ex rebus uere gestis libero ingenio nouas quasdam res effinxit.

Iam uero hoc talibus causis exortum bellum quod ciuibus nihil etiamnum nisi calamitates perniciemque attulerit ut permaneat istos uel maxime operam dare Aristophanes in Acharnensium comoedia profitetur qui commode se in hac omnium rerum perturbatione cupiditates suas expleturos intellexerint. Quos esse ait populares illos qui iure suo timeant ne pace composita auctoritatem et potentiam perdant et permultos istos iuuenes turbulentos rerumque nouarum studiosos qui cum gloria praedae aliquantum e bello se reportaturos esse sperent. Ac contra studia istorum hominum uana et perniciosa ut alias semper ita in nostra quoque fabula Aristophanes uehementissime contendit nec unquam declarat pacem obtineri posse nisi illis e ciuitate eiectis. Quare ostendit quomodo cum populus imperare sibi uideatur re uera ciues isti turbulenti ac facundi populo imperent. Quos omnium mendaciorum atque calumniarum peritos non reipublicae salutem sed lucrum suum et priuatas utilitates sequi. Ita eos et quod de pecunia publica supersit quaeque socii largiti sint domum suam auertere et qui dediti ipsos adulentur illos amplissimis ac luculentissimis in republica muneribus ut legationibus atque imperiis praeficere. Ab eis denique qui corrumpantur a partibus re uera omnes lites diiudicari et grauissimas omnes res publicas administrari. Ciues autem miseros esse contentosque eis quae isti reliqua

---

[49] Plat. Gorg. p. 515. a.

fecerint et inseruire perficiendis illorum consiliis: quippe qui errore capti omnique propria uoluntate expertes totos se finxerint et accommodarint ad illorum arbitrium et nutum. Iam uero quomodo isti homines et fictis impudenter legationibus et falso promissis exterarum gentium auxiliis efficere studeant ut bellum ipsis utilissimum perniciosissimum ceteris omnibus quam longissime trahatur luculentissime Aristophanes in Acharnensium fabula docet.

Quibus omnibus effici denique uult poëta ut ciues qui fabulam spectent arbitrentur pacem utique faciendam esse quamdiu commode illud quidem temporum opportunitate fieri possit ne temporibus iniquioribus adquiescendum sibi sit in pace quae minus sit ex ipsorum uoto et sententia[50].

Iam illam comoediae sententiam Aristophanes in tribus uel maxime fabulae personis insigniter descripsit atque explicauit. Ita enim has personas induxit ut earum unamquamque suscipientem faceret causam uniuersi cuiusdam hominum generis uel potius ciuium factionis: quo facto quomodo ad illas quidem personas et bellum et pax pertinerent cum elegantia et arte declarauit.

Atque ita pax quantos fructus ferat in Dicaeopolide, bellum quanta mala adferat in Lamacho, quomodo prudentissimo cuique agnoscenda utique sit necessitas pacis in choro Acharnensium senum cognosci licet.

Ex quibus Dicaeopolis quem ipso nomine talem esse Aristophanes descripsit qui nihil[51] nisi iusta in ciuitate institui uellet ut princeps est rerum in fabula gerendarum ita primas agit. Qui et sana mente prudentiaque et Atticorum antiquorum ingenio praeditus ipsius poëtae consilia ac sententias de republica gerenda defendit. Quid? quod nonnullis locis prorsus Aristophanis uel Callistrati uice fungitur quae illi euenissent Cleone inprimis auctore — ea ipse quasi de se professus.

---

[50] Ach. 1020.
[51] Ach. 500 seq. 661 sq.

Quod autem sentit de republica Dicaeopolis idem est illud quod antiqui Graeci animo ac mente penitus perceperant quodque morum legumque oboedientia cognoscitur. Quare nouis aetatis suae moribus aduersarius factus nihil magis desiderat quam ut pax utique fiat in qua non modo singulorum ciuium sed etiam uniuersae ciuitatis salutem positam putat.

Ultimis uero belli annis ut illud crederet uel maxime Dicaeopolis impulsus est. Nam ipse quoque adductus est ut agri sui uastationem passus in urbem confugeret: ubi carens omnibus iucundis uoluptatibus uitae rusticae in angustis aediculis exigua fortuna misere uixit. Neque effugit uarias iniurias illorum qui tunc rempublicam gerebant, sed excubandum adeo fuit ei quamuis aetate prouectiori ad moenia urbis.

Quare cum intellexisset finem belli animis tandem aliquando reconciliatis nullo modo exspectandum esse Dicaeopolis de rerum condicionibus meditatus causas earum leuiores existimauit quam ut eis adduceretur ut communium temporum calamitatem in perpetuum susciperet. Cumque perspexisset quam peruerse respublica Atheniensis administraretur et quomodo ciues fallerentur falso promissis auxiliis amplissimis ac popularium fraudulentis artificiis quae illi quidem aut non intellegerent aut uera putarent acerrimo belli studio hostiumque inflammato odio paene occaecati tantum afuit ut putaret hominem sese simplicem de plebe ex istis rerum condicionibus unquam aliquid adsecuturum esse ut sibi ciuibusque etiam alia atque maiora mala futura esse prouideret ac praenuntiaret.

Sed cum principibus reipublicae aperte palamque lacessitis eorumque administratione reipublicae dilucide exposita ciuibus suis non persuaserit Dicaeopolis non dubitat ipsam ciuitatem deserere ac suae ipsius saluti consulere pace priuata sibi et suis cum hostibus composita. Quam pacem acceptam non dissimulat territus Acharnensium ira et maledictis sed palam et coram omnibus ciuibus uoluptates eius adfluentius haurit. Nam persuasum ei est causam suam bonam consiliaque sua recta esse: ut si prospere rem gesserit mox ciues consiliorum suorum ra-

tionem probaturi sint. Atque ita circum bello saeuiente ipse solus pace cum Lacedaemoniis composita tranquille ac laute uiuit praeclarissimis fructibus ex pace efflorescentibus et redundantibus. Quo postremo efficitur ut omnes ab eo petant ut felicitatem suam cum ipsis communicet et ut uictor denique certaminis cum belli studiosis instituti triumphum deportet.

Quorum bellicosorum hominum quamuis magna Athenis multitudo fuerit tamen unus Lamachus in scaenam producitur qui illorum personam gerat. Quem re uera magis uirtute bellica quam ciuili prudentia spectatum hominem Aristophanes quamdiu inter uiuos ille quidem erat iocosissime semper[52] perstrinxit ipso nomine more comico per ridiculum detorto quamuis iuste[53] de mortuo eo iudicaret.

Atque in Acharnensibus Aristophanem existimo uoluisse Lamachum eum esse qui nouam aetatis suae rationem quasi uita ipsa exprimeret. Ita patriam ille neglegit propter utilitatem ac lucrum et quamuis iactarit modo perpetuo se aduersus hostes bellum gesturum esse iussus contra Boeotos proficisci inuito tantum et iniquo animo obtemperat. Quare cum uulneratus in scaenam profertur et misere lamentatur nemini probatur: quippe qui sua ipsius culpa ac stultitia in exitium praecipitatus sit.

His uero duobus fabulae personis chorus denique Acharnensium a quo nomen inditum est comoediae — tanquam tertia persona interponitur.

Et profecto cum quod uoluit is qui primas agit celerius consecutus sit grege demum Acharnensium carbonariorum quasi in aciem cum pacis illo amico descendentium uigor quidam ac motus fabulae actioni accedit.

Eodem autem modo quo Aristophanes suorum ciuium fabulam spectantium animos immutatum iri sperauit — Acharnenses quos primo poëta temporum opinionibus praeiudicatis

---

[52] cf. in Ach. Pac. Holcad. fr.
[53] Thesm. 841. Ran. 1030. cf. Fritzsch. ad Ran. p. 337.

corruptos et popularium peruersa in republica consilia secutos facit progrediente fabula auctore eo quem Aristophanes quid ipse sentiret profiteri uoluit adducuntur ut eandem postremo rationem optimam sequantur quam ille quidem communis Graeciae Athenarumque salutis studiosus defendit.

Ac certo consilio ductus personam chori Aristophanes Acharnensibus imposuit carbonariis „duris ilignis acernis“ [54]. Illi enim quorum pagus Atticorum maximus fuit adeo ut mille pedites grauis armaturae in urbem mitterent [55] iam ipso belli initio cum hostes operam darent ut ipsorum uel maxime agros uastarent efflagitarant ut in aciem Pericles Athenienses [56] educeret. Quod ut faceret ille qua [57] fuit animi constantia cum adductus non esset odium eorum aduersus hostes atque cupiditas ulciscendi magis etiam aucta sunt atque incensa.

Eis uero qui in Atheniensium contionibus auctoritate ualebant de pacis necessitate persuadere re uera uel maximi fuit momenti. Quare multis quoque uerbis Acharnensium sententiae refelluntur. Et adducuntur denique ut omnes summo consensu et una uoce Dicaeopolidis qui pacem composuerit consilia approbent eundemque cum gaudio clamoribusque ad lautissimas epulas prosequantur.

Sed ut reliquis qui in ciuitate sint belli studiosi persuadeat Aristophanes quasi ambitione quadam ipsius populi gratiae ductus sese choro qui in comoedia populi uice fungatur ad pacis consilia traducto non magnopere curare ostendere uidetur.

Atque quod re uera Acharnensibus doctis in republica perfectum est quantulum id cunque fuit uehementer uniuerso populo fabulam illam probatam fuisse ex eo iudicari potest quod primum ei certaminis praemium tributum est.

Iam uero unum restat huic disputationi.

[54] Ach. 180 sq.
[55] Thuc. II 19.
[56] Thuc. II 19—21. Plut. Per. 32.
[57] Ach. 528. Pac. 502. 608. 1001. Th. I. 139. 140—4.

Ea enim Acharnensium parte ubi Aristophanes Dicaeopolidem induxit adeuntem Euripidem (quippe quae ad rem quae maxime ageretur et ad pacis commendandae consilium non pertineret ac plus iusto ab rerum ordine declinaret) adducti sunt ut Aristophanem in Acharnensibus etiam alterum [58] consilium exagitandi Euripidis secutum esse statuerent.

At pacis commendandae consilium iam negaui id esse quo uniuersa Acharnensium comoedia uel maxime contineretur: sed ab Aristophane consilium illud quasi instrumentum ornamentumque excogitatum dixi quo quod re uera non Acharnensium solum comoediae sed uniuersae suae poësi comicae propositum esset — ut uniuersam rempublicam Atheniensem libere perstringendo quasi repraesentaret — etiam in hac Acharnensium fabula proferret.

Atque ad hoc consilium si reuocauerimus ea quae ad Euripidem spectant non solum apta atque concinna sed etiam necessaria illa quidem esse censebimus. Nam cum id ageret Aristophanes in Acharnensibus ut uniuersae reipublicae calamitatem bello sane uel maxime cum procreatam tum altam et accensam ciuium ante oculos poneret necesse fuit eum animum aduertere etiam ad poësin qua populi mores tales quales esse possunt perfectissimi exprimendi fere sunt atque inprimis ad aetatis suae tragoediam quae ut ipsa respublica fracta ac paene profligata uidebatur. Et hercle omni dignitate et grauitate quam Aeschylus atque Sophocles secuti sunt magis magisque neglecta quasi in forum illa descenderat ubi consiliorum multitudinis ministra atque adiutrix popularem causam defenderet.

Atque istius tragoediae princeps fuit Euripides.

Qui non solum omnibus rebus publicis post Periclis tempora immutatis artem quoque tragicam in omnes partes commutauit sed etiam ad communem intellegentiam se accommodans

[58] cf. Hieron. Mueller. in praef. ad Ar. Ach. interpr. germ. et al.

animos multitudinis ita mouit ut maiorem quotannis commendationem haberet.

Aristophanes uero cum uirtutis et honestatis uim quae quasi spirare uideretur atque expressa esset in Aeschyli et Sophoclis tragoediis iam nullam uideret esse in tragoediis Euripidis non modo Euripidem auctorem deprauatae[59] tragoediae sed etiam tragoedias Euripidis eas existimauit ad quas uniuersa immutatio morum ingeniique referenda esset. Quare ex quo ad scribendum se contulit illum quidem adgredi atque exagitare[60] nunquam intermisit. Quo se effecturum esse Aristophanes sperauisse uidetur ut non modo labem istam tragicae artis auerteret sed etiam prohiberet quominus tragoediis Euripidis homines illius aetatis ex quibus iuuenum inprimis studia in dies magis ille in se conuertebat corrumperentur.

Iam uero maxime Euripidi haud iniuria exprobrata est noua in tragoediis fabularum tractatio quae prorsus abhorret a fabularum tractatione quam in Aeschyli et Sophoclis tragoediis inuenimus. Nam quae fabulis tradita essent eis Aeschylus diuinam aliquam necessitatem cognosci arbitratus est: Sophocles autem intima illis quidem et recondita consilia de rebus humanis contineri existimauit. Euripides uero fabulis illis usus est ad inueniendas et ad proponendas rerum condiciones quibus cum suorum temporum homines describeret tum suam ipsius sententiam exprimeret.

Atque tragicam illam quae uocatur culpam Euripides non ad externam quandam fati necessitatem reuocauit — id quod Aeschylus atque Sophocles fecerunt — sed ex sola nefaria impotentia et ex moribus animoque eiusdem illius qui istam culpam in se contulisse dicebatur repetiuit.

Itaque infelicissimi illi reges et principes qui apud Aeschylum et Sophoclem uel in summorum dolorum perpessionibus incre-

[59] Ran. 93.
[60] cf. Ach. Ran. Thesm. Pac. coll. Autolyk. Erechth. Polyïd. Phoen. Proag. Amphiar.

dibili quadam uirtutis atque magnanimitatis specie quam et ingenii et corporis habitu prae se ferebant animos spectatorum erigebant apud Euripidem miseri facti sunt mendici qui sordidis pannis inuoluti[61] uerbis quae ex foro desumpta haud raro uidebantur saepe leuissimas res hilarius quam tristius proferebant.

Atque haec quasi ui quadam extrinsecus ascita doloris misericordiaeque concitatio et uafritia ista uel summis heroïbus imposita maxime in Acharnensium fabula perstringuntur.

Etenim Aristophanes in hac comoedia spectatores quasi inspicientes facit in uestiarium Euripidis mendicum atque ex ipsis ad summam humilitatem abiectis heroibus complures eis quasi ante oculos proponit. Ex quibus Telephum inprimis appellat qui quamuis fortis uir et rex fuerit tamen apud Euripidem claudus mendicus factus sit. Cuius nomine inscriptae ab Euripide fabulae quam alias quoque Aristophanes[62] et alii comoediarum scriptores[63] haud raro facetius significant in Acharnensibus non solum uersus et singula dicta, sed etiam ipsae rerum condiciones per ludibrium detorquentur.

Illam autem tragoediam inprimis Aristophanes uehementissime perstrinxisse uidetur cum quod Telephus heroum quos Euripides in scaenam produxerat omnium longe miserrimus erat tum quod ea omnia quae in poësi Euripidea ipse quidem uituperabat in illa tragoedia uel maxime extabant atque apparebant. Nam scripserat Euripides et istam tragoediam et quas alias fabulas Aristophanes in Acharnensibus nominat recens a disciplina Protagorae atque omnia in his tragoediis ad recentioris aetatis subtilem disserendi rationem reuocauerat.

Atque illud dicendi studium artificiumque nouiciis sophistarum doctrinis perfectum quo praediti et illius aetatis Athe-

[61] Ran. 826.
[62] Nub. 921. 888. Ran. 853. 863. 1447. Eq. 810 1237. Pac 127. Thesm. 517. Lys. 707. cf. Bergk. c. a. r. p. 136 sq.
[63] Alex. ap. Mein. III 467. Amph. ap. Mein. III. 313. Timocl. ap. Mein. III. 593.

nienses et homines isti quos in fabulis suis Euripides induxisset grauissima omnia fundamenta in quibus salus populi posita esset ut patrios mores instituta religiones audacter et impudenter perturbarent ac propemodum funditus euerterent inprimis Aristophanes per ridiculum detorsit.[64]

Ex quibus omnibus facile denique apparere mihi uidetur quaecunque in Acharnensibus facetius significent Euripidem ea nullo modo contra consilium facere fabulae in qua Aristophanes id egerit ut communium temporum studia artesque quam sint praua noxia inania quasi manifestis documentis doceat atque exprimat. Nam reapse in Acharnensibus Aristophanes non solum bellum quaeque continuo bellum secuta essent sed multo magis uniuersam morum et ingenii immutationem hominum recentiorum adgressus est.

Atque hoc loco commode finis faciendus fuit huic disputationi nisi unum restitisset cuius mentionem tantum incohasse me paeniteat. Quare breuiter mihi dicendum esse statui et de tempore et de loco rerum in Acharnensibus gestarum.

Sic autem existimo totam fabulae actionem intra terminos unius temporis atque eiusdem loci contineri.

Res enim fictas fabulae quae re uera docta est Lenaeorum[65] diebus festis Gamelione anni Attici mense septimo qui idem fere est ac nostri anni mensis Ianuarius Aristophanes actas uoluit Anthesteriorum diebus festis Anthesterione anni Attici mense octauo qui idem fere est ac nostri anni mensis Februarius. Dionysia autem rustica Posideonis anni Attici mensis sexti qui idem fore est ac nostri anni mensis December a Dicaeopolide ut est ille pace modo degustata quasi furore quodam ac mentis insania concitatus non iusto suo tempore celebrantur.

Eaque rerum actio continetur denique uno die secundorum

---

[64] Ach. 496 sq. et passim.

[65] Ach. hyp. I. fin. coll. Ach. 504. c. schol. cf. Boeckh. de Lenaeis in diss. litt. acad. Berol. a. 1819.

Anthesteriorum quae Choes uocantur inde a tempore antemeridiano usque ad cenae tempus.

Iam uero locus[66] ubi fabulae res aguntur perpetuo est Athenis specie ornationis scaenae nunquam mutata nisi quod cum in Euripidis domum inspicitur quod uocant ἐκκύκλημα aperitur.[67]

Atque initio quidem fabulae sine dubio scaena Athenis est in pnyce. Tum autem res aguntur ante Dicaeopolidis domum quae ut eius qui primas agit in medio scaenae pariete sita est. Quam domum in urbe ipsa esse a pnyce haud procul distantem Aristophanem uoluisse statuo.

Nam quae celebrat Dicaeopolis Dionysia rustica in agro illa ante uillam Dicaeopolidis fieri quominus putemus cum uerba poëtae tum res ipsae refragantur. Immo uero ut alieno tempore ita alieno quoque loco Dicaeopolis Dionysia celebrat ita ut quae re uera in urbe celebrat ea in pago se celebrare quasi animo praecipiat.

Deinde autem agitur ante Euripidis domum quam a sinistra spectatorum ad dextram domus Dicaeopolidis sitam fuisse arbitror ita ut a dextra spectatorum et a sinistra domus Dicaeopolidis ad urbem uersus Lamachi domus repraesentata fuerit. Hoc enim modo domibus illis constitutis facillime efficitur et ut Euripidis domus a choro in orchestram a dextra spectatorum parte ingresso abesse aliquid uideatur et ut Dicaeopolis atque Lamachus in diuersas partes abeuntes et a diuersis partibus redeuntes in medio proscaenio obuiam sibi fiant sane haud parum aucta hilaritate.

Et profecto qui existimarunt domus Euripidis Lamachique clarissimorum uirorum quorum domus unumquemque Athenis cognouisse uerisimillimum est atque forum illud mercatorium a Dicaeopolide constitutum[68] in pago aliquo fuisse uel Dicae-

---

[66] Boeckh. l. l. p. 93. Geppert d. alt-griech. Bühne. Leipz. 1843. Schoenborn d. Sk. d. Gr. Lpz. 1858. p. 307.

[67] Ach. 408.

[68] Droysen Uebersetz. d. Ar. II. p. 172. Bode h. l. gr. III. 2 p. 306 sq.

opolidis domum rusticam iuxta urbanas domus Euripidis et Lamachi sitam fuisse maiore libertate iudicii usi sunt quam ei qui omnia in urbe agi statuerunt.

Quare postremo quoque scaenam rursus ante urbanam domum Dicaeopolidis esse censeo ubi et mercatus et reliqua omnia agantur.

Sed etiamsi ea omnia suis finibus circumscripta uideantur tamen in Archarnensium quoque fabula summa comoediae libertas quae tempore ac loco parum cohiberi solet minime imminuta est: ut Aristophanes quae extra scaenam fiunt — cursum ab Amphitheo Lacedaemonem institutum, Megarensis Boeotique mercatorum celerem aduentum, expeditionem a Lamacho factam in fines Boeotiae — eiusdem unius diei quasi circulo complectitur.

Sed quid potest mirum esse in fabula quae tota uersatur in re quadam commenticia et ab omni ueritate aliena qualis est pax priuata unius ciuis — ipsa ciuitate bellum gerente.

ERNESTVS BONSTEDT
de uita sua.

Natus sum Brombergae die 28. m. Octobris a. h. s. quadragesimo altero patre Ferdinando ICto matre Wilhelmina de gente Brachuogel. Fidem profiteor euangelicam. Primis litterarum elementis imbutus nouem annos natus gymnasium adii Brombergense quod Deinhardt etiam tum regebat. Iam inde ab a. h. s. quinquagesimo altero Posnaniae gymnasium Fridericium Guilelmium frequentaui quod mea memoria Heydemann Marquardt Sommerbrodt moderabantur. Post nouem annos maturitatis testimonium consecutus a. h. s. sexagesimo primo uniuersitatem Berolinensem adii iuris consultorum studiis operam nauaturus: sex autem mensibus post philologiam capessiui. A. h. s. sexagesimo altero Vratislauiam me contuli: eiusdem anni autumno Bonnam migraui. Berolini me docuerunt Helfferich Heydemann Rudorff Stahl Boeckh Gosche Gruppe Guhl Haupt Mullach de Raumer Steinthal — Vratislauiae Haase et Rossbach — Bonnae van Calker Iahn Lassen Ritschl Ritter Schlottmann Simrock de Sybel. Atque Bonnae seminarii regii philologici sodalis extraordinarius — exercitationum epigraphicarum quas Ritschl priuatissime instituebat socius fui: in societate quoque latina cui Reifferscheid et Wachsmuth praeerant uersatus sum.

Iam Bonnae postquam per duos annos et menses sex alumnos docui atque erudiui scholae Kortegarnensis a. h. s. duodeseptuagesimo examina pro facultate docendi absolui. Tum publico magistri munere per annum in gymnasio Gnesnensi biennium in gymnasio Ratiborensi functus a. h. s. septuagesimo primo praeceptor creatus sum ordinarius gymnasii quod auspiciis floret municipii Francofurti ad Moenum.
